



## **Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum**

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro Quinto Decretalium. In Quo De Judicio, Seu Ordine Judiciario criminali, nec non de criminibus Ecclesiasticis, & secularibus ... agitur ...

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingae, 1677**

Titulus. XXIX. De Clerico per saltum promot.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98302](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98302)

conferendo, vel alia ministeria sacra exercendo, *Suar. c. l. n. 19.*

VII. Quintò requiritur, ut quis ministret in Ordine, quem non habet, solemniter, & tanquam ex officio ad tale ministerium deputatus, & constitutus, si enim sine solemnitate id faciat, vel non tanquam ex officio, non erit irregularis, ut si quis non Diaconus legat, vel canat Evangelium, ut dici solet à Monialibus in Matutinis, vel cum Dalmatica, sed sine Stola, vel Epistolam cum Dalmatica, sed sine Manipulo, vel etiam cum Manipulo, ubi est consuetudo, quòd non ordinati sic eam canant, quia non tam exercet officium Diaconi, vel Subdiaconi, quàm Cantoris, *Silvest. c. l. limit. 6. Avila c. l. limit. 5. & dictum supra.*

Hinc infertur primò, quòd Clericus, exercendo actum Ordinis, quem habet, nunquam incurrit irregularitatem, propter usurpatam jurisdictionem, quam non habet, quia hæc irregularitas solum lata est in eum, qui exercet actum Ordinis, quem non habet. Unde etsi Sacerdos solemniter baptizet non subditum, vel Sacramenta Pœnitentiæ, aut Eucharistiæ administret non subditis, sine licentia proprii Parochi, non fit irregularis, quia non exercet actum Ordinis, quem non habet, sed solum usurpat alienam jurisdictionem. Idemque est, si assistat matrimonio alieni Parochiani, sed non benedicat nuptias.

Infertur secundò, si Diaconus baptizet solemniter, sine licentia Episcopi, vel Presbyteri, etiam in extrema necessitate, fit irregularis, quia ex officio, & solemniter baptizare competit Sacerdoti, non Diacono: cum licentia verò Episcopi, aut Presbyteri, licitè baptizat, etiam solemniter, & extra casum necessitatis, & consequenter non fit irregularis, *Navarr. in man. c. 22. n. 7. Avila cit. sec. 2. dub. 14. concl. 1.*

VIII. Sextò requiritur ad incurrendam hanc irregularitatem, ut qui ministrat in Ordine, quem non habet, sit capax irregularitatis: unde si fœmina exercent ea, quæ sunt Ordinis, non fit irregularis, quia irregulariter est privatio Ordinis, vel usus illi. Idemque dicendum, si quis non baptizatus ministret in Ordine, quia neque hic est capax irregularitatis, saltem illius, quæ ob delictum est lata, cum enim non baptizatus, seu infidelis sit extra forum Ecclesiæ, non ligatur ejusdem legibus, *Suar. cit. sec. 4. n. 20.*

IX. Septimò denique aliqui requirunt ad hanc irregularitatem incurrendam, ut non ordinatus ministret in Ordine sacro, non in minoribus Ordinibus: nam in his etiam Laici solent, & licitè possunt ministrare, etiam in vestibus sacris, v. g. in superpelliceo, quamvis ad hoc non sint ex officio deputa-

ti, *Silvest. V. Irregularitas, q. 13. Avila c. 2. dub. 13. limit. 1.* Sed obstat prima, quia h. t. dicitur generaliter, si aliquis dicitur, qui exercet non ordinatus, nunquam ordinatus, ones, seu officia minorum Ordinum solum vinum officium, ergo qui illa exercent non sunt irregulares. Obstat secundò, quòd excommunicatus ministret ex officio in minoribus, fiat irregularis, secundum eandem sententiam, ut dictum est, præced. eadem est autem ratio in proposito. Quamquam dicendum est, si quis exercet actum quem, etiam in minoribus, tanquam ex officio minister ordinatus in eo, cum non sit, ita tali modo exercere possit hujusmodi actum, non nisi raro contingere potest, ut etiam præced. n. 39. Si verò quis solum exercet actum, sive actum minoris Ordinis, eodemque eundem consuetudinem, etiam à Laicis, natis exerceri solet, non incurrit irregularitatem, *Navarr. cit. c. 27. n. 242. dicto 7. d. n. 15.*

X. Quartò tertio, quis in hac irregularitate dispensare possit? Resp. Solus Papa potest dispensare, ut ad superiores Ordines aliter, ut possit uti Ordine jam suscepto, etiam dispensare potest: sicut etiam circa benedictionem lud retineat, ne sustentatione necessitatis seculum revertatur, ut constat ex *Avila ibid. Abb. n. 2. c. 3. Hostiens. in Summa h. t. vest. cit. q. 12. Diaz in pract. Can. n. 13. cit. sec. 2. dub. 15. concl. 3.* ubi addit, quòd concil. Trident. Episcopus potest dispensare in irregularitate, etiam ad superiores Ordines, si delictum sit occultum, juxta *6. de reformatione.*

XI. Postremò hic addendum, quòd stat Constitutio Papæ Clementis VIII. edita, mulgata Romæ die 4. Decembris, anno 1582. incipit, *Etsi aliàs, & habetur apud Quercetum Bullarij V. Ordo in fine, ubi statuitur, ut quæ non promotus ad sacrum Presbyteratum ordinem repertus fuerit, Missarum celebrationem usurpasse, vel Sacramentalem Confessionem administrasse, à Judicibus S. Inquisitionis, vel locorum ordinarijs, tanquam Ecclesiæ misericordiam de foro Ecclesiastico abjiciatur, & ab Ordinibus ecclesiasticis, siquos habuerit, ritè degradentur, Curia seculari tradatur, per Judices secularibus pœnis plectendus.*

## T I T V L V S XXIX DE CLERICO PER SALTUM P R O M O T O.

I.



Remittendum, non tantum is, qui non est ordinatus, exercere prohibetur Officia Ecclesiastica, sive actus Ordinum, de quo Tit. præcedente; sed etiam is, qui

non est ritè, seu præposterè ordinatus, qui saltum suscipiat aliquem Ordinem: nam Ordines inter se sunt subordinati, ut per minores Ordines gradatim ad majores, sive superiores Ordines ascendendum. Si quis igitur prætermissis

aliquo Ordine, uno vel pluribus, suscipiat Ordinem superiorem, dicitur per saltum promotus ad Ordines: ut si quis ordinetur Lector, priusquam sit Ostiarius, vel Diaconus, ante susceptum Subdiaconatum. Et licet collatio Ordinis altioris, non suscepto prius Ordine inferiore, sit valida, etiam si quis ex laico, qui nullum habuit Ordinem, immediate sacerdos sit ordinatus, ut docet *Gl. communiter recepta, in c. Sollicitudo, unic. dis. 52. V. Subdiaconatus.* & supponitur in *c. unic. h. t.* ibi enim quidam suscepit Ordinem Sacerdotij, prætermisso Diaconatu, & tamen non præcipitur repetere Sacerdotium, sed suscipere Ordinem, qui omisus fuit: est tamen illicita talis ordinatio, & jure prohibita, ideoque pena condigna ordinato est imponenda, *Abb. in c. unic. n. 1. h. t.*

II. Queritur primò. An ordinatus per saltum sit irregularis, ita ut non possit uti Ordine suscepto, nec Ordinem prætermisum recipere, nisi cum eo dispensetur? Resp. talem non esse quidem irregularem, si non ministravit in Ordine per saltum recepto: esse tamen ipso jure, ac facto suspensum ab executione Ordinis sic suscepti, donec Ordo inferior omisus suppleatur, *Silvest. V. Irregularitas. q. 11. n. 13. Avila p. 7. de cens. dis. 9. sec. 1. dub. 2. concl. 1. & 2. Suar. dis. 31. de cens. sec. 1. n. 45. & seqq.* Idque probatur ex *c. Tunc un. h. t.* ubi habetur, quod quidam Subdiaconus P. nomine, prætermisso Ordine Diaconatus, se fecit ordinari in Sacerdotem, qui postea in secreto Episcopo suo confessus fuit (tanquam Judici, non in confessione Sacramentali, *Hofstien. hic V. Secretis*) se pro certo nescire, an res sic se haberet: sed quia viri boni hoc asserabant, inter quos fuerat conversatus, credebat assertioni eorum: cum eo tempore, quo Ordines inferiores susceperat, infra annos discretionis constitutus esset. Quæsit ergo Episcopus loci à Papa Innocentio III. quid hic esset agendum, qui mandavit Episcopo, ut condignam penitentiam, propter hujusmodi negligentiam (quæ crassa, & supina ignorantia fuit, ideoque ipsum non excusabat, *Gl. hic V. Hujusmodi*) ei imponat, quâ peractâ, quia non censetur iteratum, quod nescitur esse factum, ipsum in Diaconum ordinare procuraret, & sic ex misericordia eundem ministrare in Ordine Sacerdotis permittat.

III. Jam ergo probatur prima pars assertionis, quod recipiens Ordinem per saltum non sit irregularis, tum quia etsi ministrans in Ordine, quem non habet, fiat irregularis: nullo tamen jure statutum habetur, quod quis fiat irregularis ex eo solum, quod prætermisit Ordinem inferiorem, si in suscepto per saltum non ministravit: tum quia in *c. unic. h. t.* non statuitur talis irregularitas, ut patet ex illis verbis: *ipsum in Diaconum ordinare procuret*: ex quibus colligitur, quod per saltum ordinatus non est per se impeditus, & inhabilis ad suscipiendos Ordines, quominus saltem ex dispensatione Episcopi, possit Ordinem prætermisum recipere: ideoque etiam ibi permittitur, ut postquam Ordo prætermisus est suppletus, Episcopus cum tali dispense, ut possit ministrare in Ordine per saltum suscepto: si autem irregularis foret, solus Papa dispensare posset, *Avila p. 7. dis. 9. sec. 1. dub. 2. concl. 1. Zaf. in Comment. in Decret. l. 1. n. 2.* Altera pars, quod promotus per saltum, ipso

jure, maneat suspensus ab Ordine sic suscepto, probatur ex *c. unic.* ubi cum quidam Subdiaconus, prætermisso Diaconatu, factus esset Sacerdos, præcipitur, ut Episcopus eum procuret ordinare Diaconum, & tunc ex misericordia permittat ministrare in Ordine Sacerdotij: ergo ibi supponitur, quod erat ipso jure suspensus ab executione Ordinis Sacerdotij, alioquin nullâ opus fuisset dispensatione, *Avila cit. l. concl. 2.* Idque confirmatur ex Concilio Tridentino *Seff. 23. c. 14. de reform.* ubi in fine dicitur: cum promotus per saltum, si non ministraverit, Episcopus ex legitima causa potest dispensare: ergo ibi supponitur, quod etsi non ministraverit, sint ipso facto suspensi, alioquin ministrando in Ordine non contraherent novum impedimentum, seu irregularitatem, si non essent suspensi, sed solum suspendendi, quia suspensi, vel aliâ censurâ irretiti, exercendo actum Ordinis, à quo sunt suspensi, fiunt irregulares, *c. 1. de sent. & re judic. in 6.* & patet ex supra dictis, *Avila cit. l. Tolet. in summa lib. 1. c. 50. n. 18.* Nec obstat, quod in *c. Sollicitudo, unic. dis. 52.* præcipitur, ut Episcopus eum, qui per saltum susceperat Diaconatum, & Presbyteratum, prætermisso Subdiaconatu, ab Officio Sacerdotali prohibeat, donec recipiat Subdiaconatum, ergo talis non est suspensus ipso jure, sed suspendendus per sententiam. Respondetur enim, quod illud verbum, *prohibeat*, non significat prohibere per censuram, suspendendo eum, sed ut Episcopus eum compellat ad observandam censuram, quâ iam erat ligatus, *Avila cit. sec. 1. dub. 2. in fine*: ubi addit, etsi detur, ibi non contineri sententiam latam ipso jure, sed ferendam; tamen illud cap. correctum esse per *c. un. h. t.* quod est potestius, & cui consonat etiam Concilium Trident. *cit. l.*

IV. Hinc sequitur primò. Si per saltum promotus, ante absolutionem suspensionis, ministrat in Ordine sic recepto, vel etiam in Ordine prætermisso, sit irregularis, siue ante illum susceptum, siue post susceptum ministraverit, siue legitima dispensatione: si enim ministravit ante, sit irregularis, tanquam ministrans in Ordine, quem non habet, juxta supra dicta: si post illum susceptum, item sit irregularis, quia cum ille sit suspensus à receptione Ordinis prætermissi, postquam illum sine dispensatione suscepit, manet adhuc suspensus ab ejus executione, ergo si in illa censura ministrat, sit irregularis, juxta *c. 1. de sent. & re judic.* & neutro casu potest dispensare Episcopus: non in irregularitate contracta per usum Ordinis, à cujus receptione erat suspensus, quia talis facultas nullibi Episcopo est concessa: nec in suspensione, quam incurrit, & quæ est imposita ipso jure, ante talem usum, quia potestas dispensandi in illo, est à Concilio Tridentino concessa Episcopo, sub illa conditione, nisi ministraverit, *Suar. dis. 31. sec. 1. n. 51. Avila cit. l. concl. 1.*

Sequitur secundò. Si promotus per saltum non ministravit in Ordine sic suscepto, potest Episcopus cum eo dispensare in prædicta suspensione, ut possit eo uti: sicut etiam ut possit recipere Ordinem prætermisum, & eo recepto uti, ut colligitur ex *c. unic. h. t.* quamvis delictum sit publicum, quia Concilium *cit. l.* facultatem dispensandi non limitavit ad delictum occultum: at verò si ministravit in Ordine

dine per saltum suscepto, non potest Episcopus, ex vi dicti decreti, dispensare in suspensione, nec in irregularitate contracta ex tali usu Ordinis: poteris tamen dispensare ex vi Concilij Trident. *Sess. 24. c. 6. de reform. si delictum sit occultum, Avila cit. l. concl. 2.*

V. Notandum hic præterea primò. Ordinatus per saltum est suspensus tantum ab eo Ordine, quem per saltum suscepit, & si in eo ministravit, sit irregularis: non tamen est suspensus ab usu Ordinum inferiorum, quos legitime suscepit, ac proinde ijs etiam licet uti potest, *Avila cit. dub. 2. concl. 2. in fine, Barb. de Offic. & potest. Episc. alleg. 47. n. 10.*

Notandum secundò, cum eo, qui per saltum est promotus, & absque dispensatione recepit Ordinem prætermisum, non potest dispensare Episcopus, ut ministret in Ordinibus susceptis, & ad Superiores ascendat: nam quamvis vi Concilij Trident. *cit. sess. 23. c. 14.* solum prohibeatur Episcopus dispensare cum promotis per saltum, si in Ordine ministraverint adeoque cessante hac conditione, possit Episcopus dispensare, cum suscipere Ordinem prætermisum non sit ministrare in Ordine: verumtamen si ordinatus per saltum recipiat Ordinem prætermisum, sine dispensatione, incurrit novum genus suspensionis, quia suscipit illum Ordinem censurâ ligatus, ideo in hac suspensione non potest Episcopus dispensare, nam cum excommunicato, vel aliâ censurâ interdicto, qui scienter Ordines recipit, nullus, præter Papam, dispensare potest, *Barb. cit. l. n. 11.*

Notandum tertio. Episcopus, vi Concilij Trident. *cit. l.* non potest dispensare cum promotis per saltum, ut sic ordinati ascendunt ad superiores Ordines, antequam inferiore Ordinem prætermisum recipiant, quia id repugnat primæ institutioni Ordinum, ut gradatim recipiantur, adeoque Juri Divino ut nec SS. Pontifex in eo dispensare posse videatur. Neque etiam Episcopus dispensare potest, ut ordinatus per saltum ministrare possit in Ordine sic suscepto, antequam prætermisum receperit, quia hoc est per se malum, & prohibitum quasi ex natura rei, suppositâ institutione talium Ordinum. Potest tamen Episcopus dispensare cum promotis per saltum, ut recipiat Ordinem prætermisum, & deinde in eodem ministret, & ad superiorem ascendat, ac proinde supponit Concilium hoc esse prohibitum ipso facto ei, qui sic ordinatus est, & consequenter ipso jure illum suspensum esse, ut supra dictum, *Suar. cit. dis. 31. sec. 1. n. 47. Barb. cit. alleg. n. 12.*

VI. Notandum quartò. Episcopus, ex legitima causa, potest dispensare cum promotis per saltum, si non ministraverint in Ordine suscepto, sive scienter, sive ignoranter fuerint ita promoti, quia Concilium non distinguit, utrum scienter, & ex ambitione, aut malitia: an verò ex negligentia, vel ignorantia, sic sint ordinati, sed simpliciter, & indistinctè dicit, posse dispensare Episcopum, si non ministraverint. E contrario verò non potest Episcopus cum illis dispensare, si ministraverint, sive scienter, & dolosè, sive ex ignorantia sic ordinati fuerint, quia etiam quoad hoc Concilium nihil distinguit, *Suar. cit. sec. 1. n. 47. in fine, Barb. cit. alleg. n. 6. Lopez in pract. can. apud Diaz. c. 24. in addit. lit. D. Verum contrarium tenet Fagn. in c. unic. h. t. n. 24. & 25. quod etiam*

hodie post Concilium Trident. Episcopus dispensare cum illis, qui non ministraverint, enter fuerint per saltum ordinati, & qui Commune antiquum distinguit inter promotos per saltum scienter, vel ignoranter, ut patet *um. h. t.* quod loquitur de ordinato per saltum scienter, & ante annos discretionis: & in *licitudo. un. dis. 52.* est sermo de eo, qui per saltum scienter, vel ignoranter, quæ ex diocesanatu postposito, ad Diaconatum, & raturum cognoscitur ascendisse: ideoque distingui debet Decretum Concilij Trident. lex nova disponens in materia antiqua interpretationes, & limitationes recipit, quæ ab antiquis legibus recipiebant: adeoque etiam si lex nova superveniens in materia disponunt veteres leges, generaliter loquens, nihilominus distinguendum est, prout leges antiquæ, ne videatur lex nova eas corrigere, ut notat *Jafon apud Fagn. cit. l. 1. tit. 1. & interpretatio est probabilis.*

VII. Notandum quintò. Prædicta sunt de ordinatis per saltum, non solum Sacrorum, seu Majorum Ordinum, sed etiam in promotis ad majores Ordines minoribus, sive omnibus, sive uno tantum casu, quo aliqui omiserint primam Tonsuram: tum Episcopus cum illis dispensare non ministraverint in Ordine, vel in Ordine prætermisum, aliàs verò solus Papa, ex declaratione Congreg. Concil. apud *Joan. Gallienum cit. Barb. cit. alleg. 47. n. 7.*

Notandum sextò. Qui Ordinem, v. g. Presbyteratum suscepit, si ignoranter, & habilitate dubitetur, an Ordines inferiores recipiat, illi iidem conferri debent: prout *summus c. unic. h. t.* ubi ratio redditur, quia non iteratum, quod factum esse nescitur: hoc est, quod Sacramentum Ordinis non sit iterabile, & de Sacram. non iterand. tamen non dicitur, rari, qui nescitur esse collatus, & in dubio de eo omittitur ad cautelam de novo conferri, *Hofstius, in cit. c. unic. l. 1. tit. 1. raturum. & Abb. n. 2. Fagn. n. 9. & 10. ubi n. 10.* si promotus per saltum non velit ministrare in Ordine sic suscepto, vel in Superioribus Ordinibus, debet cogi suscipere Ordinem prætermisum.

VIII. Notandum septimò. Ordo inferior non prærequirit, ex necessitate Sacramentalis characterem Ordinis Diaconatus, prout *summus ex cit. c. unic. h. t.* in quo ordinatus in Presbyteratu prætermisso Diaconatu, non jubetur iterum in Ordine Presbyteratus: quin imò post prætermisum Diaconatum, potest etiam ex dispensatione ministrare in Ordine Presbyteratu, quod clarum signum est, Characterem Presbyteralem fuisse impressum, non obstante, quod in Diaconatu receptum, fuerit Sacerdos ordinatus, & demum est, si etiam omitti fuissent reliqui Ordines inferiores, quia sunt potestates Ordinum inter se separatæ, *Abb. hic n. 4. Fagn. ibid. n. 2. & 3.*

Notandum octavò. Esti is, qui non habet ordinem Sacerdotalem, non sit capax consecrationis Episcopalis, tamen qui Sacerdos est, potest consecrari.

Episcopus validè, licet Ordinem Diaconatus, vel Subdiaconatus, vel alios inferiores non receperit. Non tamen talis poterit conferre Ordines, quos non receperit, quia sic per saltum ordinatus in Sacerdotem, & Episcopum, suscepit quidem Characterem Ordinis, sed non ejus executionem, *Gl. fin. in cit. c. un. h. t. Lopez in cit. c. 24. in addit. lit. A. & DD. hodie communiter contra Abb. hic. in fine.*

IX. Notandum ultimò, ad sacros Ordines suscipiendos non requiritur de necessitate Sacramenti usus rationis, siue anni discretionis, alioquin sic ordinatus Characterem non reciperet, sed deberet iterum ordinari, cuius contrarium constat ex *cit. c. un. h. t.* ubi dicitur, solum supplendum esse Ordinem Diaconatus prætermisum: reliqui autem inferiores Ordines, ante usum rationis, collati non sunt iterandis, *Fagn. c. l. n. 13.* quamvis non debeant Ordines, etiam minores, conferri ante annos discretionis, imò nec ante tempus à Jure constitutum: alioquin ordinato interdicienda est executio Ordinis usque ad legitimam ætatem, *c. Vel non est 14. de temp. ordinand.*

*Gl. in cit. c. un. F. Discretionis, junctâ Gl. marg. lit. A. h. t.* Multò magis autem minores Ordines, ante usum rationis, validè conferuntur, nec collati debent iterari, aut suppleri, *Turrecremata in c. Subdiaconus 4. dist. 77. n. 2. & colligitur ex cit. c. un. h. t.*

X. Quæritur secundò, an, qui Ordinem recipit, ante susceptum Sacramentum Confirmationis, sit irregularis? Resp. Negativè, ex communi sententia DD. quia nulla irregularitas, vel censura reperitur jure expressa, nec Concilium Trid. *Seß. 23. c. 4. de reform.* poenam aliquam imponit, sed solum præcipit, ut nullus ad primam Tonsuram admittatur, qui Sacramentum Confirmationis non suscepit. Imò probabilius est non esse peccatum mortale, si quis sine hoc Sacramento suscipiat Ordines, etiam sacros, vel in ijs minister, cum non necessariò prærequirant, vel supponant Confirmationem, *Avila cit. sec. 1. dub. 3. & alij recentiores plerique.* Aliud est de Baptismo, sine quo nullus Ordo validè suscipi potest, cum sit janua omnium Sacramentorum, *Gl. in cit. c. Sollicitudo, dist. 52. & est communis sententia DD.*

## T I T V L V S XXX.

## DE EO, QUI FURTIVE ORDINEM SUSCEPIT.

## I.

**U**ia per saltum promori ad Ordines plerumque furtivè id faciunt, ideo subjicitur hic Titulus de furtivè recipientibus Ordines. Dicitur autem furtivè Ordines recipere, qui sine ordinatione, & licentia, seu consensu Superioris, nempe proprii Episcopi, & sine prævia examinatione, se per dolum ingerit ordinandis, aut ignorante Episcopo Ordinate, Ordines recipit, *Abb. in Rubrica h. t. Gl. in c. 1. Furtivè. Hostiens. in Summ. eod. n. 1. ubi addit, quòd etiam ille, qui simul, & eodem die quatuor minores Ordines, unà cum Subdiaconatu, accepit, vel simul duos sacros Ordines, furtivè recepisse Ordines censetur, ut ex dicendis patebit.*

II. Quæritur primò, quæ sit poena furtivè recipientis Ordines? Resp. Qui furtivè suscepit Ordinem, si contra hoc facientes lata erat excommunicatio, non potest in sic suscepto ministrare, nec ad superiorem Ordinem ascendere, sine dispensatione Papæ, prout sumitur ex *c. Veniens 1. h. t.* ubi habetur, quòd Clericus quidam P. nomine, accessit ad Papam Alexandrum III. exponens eidem, se furtivè Diaconatus Ordinem suscepisse. Quare mandat Papa Episcopo Diocesano, quòd si non fuit ab ipso, vel ab aliquo Archidiaconorum suorum, vel Prælatorum, sub interminatione anathematis (sive comminatione excommunicationis sub conditione facta) prohibitus, condignâ poenitentia ipsi impositâ, promoveat illum ad Officiu Sacerdotale, dispensando cum eo pro arbitrio suo, nisi alia impediunt. Si verò sententia excommunicationis super hunc lata fuit, ipsum moneat, ut in aliquo Monasterio, seu Canonici habitum regularem sus-

cipiat: & si ibi aliquo tempore laudabiliter fuerit conversatus, poterit Episcopus ex misericordia ei providere (non suo jure, sed auctoritate Papæ, ut sequitur, *Gl. fin. hic. Hostiens.*) alioquin (si non vult intrare Religionem) nullâ ratione permittit Papa enim ad Sacerdotium promoveri.

III. Pro explicatione hujus cap. notandum primò, is, qui furtivè, & clandestinè est ordinatus, sine consensu Superioris, & sine examinatione, recipit quidem verum Ordinem, & Characterem, non tamen habet executionem, seu usum Ordinis, nisi cum illo fuerit dispensatum, prout sumitur ex hoc c. & tradit *Abb. ibid. n. 1. not. 1.*

Notandum secundò, ex eo, quod in *cit. c. 1.* dicitur, illum, qui furtivè Diaconatum suscepit, si id fecit sub excommunicatione prohibitus, non posse ascendere ad Sacerdotium, sine dispensatione Papæ, colligunt quidam DD. ipsum irregularitatem incurrisse, quia in excommunicatione positus Ordinem suscepit, ideoque inhabilis redditur ad ascendendum ad Ordinem superiorem, *Abb. h. t. n. 2. not. 4. Navarr. in man. c. 27. n. 241.* Verum probabilius est, quòd talis non incurrat irregularitatem, ut tradit *Covarr. in c. Abna, p. 1. §. 6. n. 6. Suar. dist. 31. de censur. sec. 1. n. 57.* sed suspensionem tantum ab Ordinis ita suscepti executione, quia secundum Canones ille sit irregularis, qui censurâ ligatus exercet aliquem actum Ordinis, à quo est prohibitus, *c. 1. de sent. & re jud. in 6. c. 1. de sent. excomm. in 6.* qui autem suscipit, etsi furtivè, Ordinem, non exercet actum Ordinis, ergo non sit irregularis: incurrit tamen suspensionem ab executione Ordinis sic suscepti, quod patet etiam ex *c. Innocentius 3. h. t.* ubi idem illud impedimentum declaratur per privationem executionis Ordinis suscepti in illis verbis: *Ordinatus in susceptis Ord-*